

NvK an Eugen IV. (Supplik). Bitte um Verfassungsänderungen für die Pfarrkirche Bernkastel.

Kop. (gleichzeitig): ROM, Arch. Vat., Reg. Suppl. 339 f. 197^v-198^r.

Druck: Meuthen, Pfründen 64-66.

Erw.: Meuthen, Pfründen 38 und 60; Meuthen, Neue Schlaglichter 46.

Devotus vester Nycolaus de Cußa pastor sive plebanus parrochialis ecclesie de Bernkastel Treuerensis diocesis, cuius cura per vicarium perpetuum exercetur et in qua viii altariste fore noscuntur, multiplici et attenta meditatione previa considerat, quod, si de domibus plebani et vicarii dicte ecclesie, que contigue sunt, una domus fieret et ipsi domui omnes et singuli fructus, redditus et proventus, iura et obventiones et emolumenta tam altaristarum omnium, qui ex fructibus eis assignatis competenciam non habent, quam 5 plebani et vicarii appropriarentur, unirentur, annecterentur et incorporarentur, ita quod plebanus, vicarius et altariste nunc et pro tempore existentes simul in dicta domo moram traherent et in communi viverent ex administracione unius ipsorum, qui singulis annis per eos eligeretur et ipsis in fine singulorum annorum certa ad hoc deputata die de administracione debitam rationem reddere teneretur et redderet, statuereturque et ordinaretur, quod in prefata ecclesia singulis diebus due misse, una videlicet submissa voce 10 de mane in diluculo et alia cum cantu post horam terciarum celebrarentur ac singule hore canonice debitis horis sonora voce dicerentur et quod plebanus de vario, vicarius de asperiolis et altariste de agnellis almucia deferrent²⁾ ipseque plebanus existens pro tempore de concilio omnium quatuor ex dictis altaristis pro exercicio cure quatuor filialium ipsius parrochialis ecclesiarum deputare ac decedentibus vel cedentibus 15 singulis ex altaristis prefatis in et ad loca singulorum alios substituere pro tempore libere haberet quodque in administracione fructuum talis forma servanda esset et servari deberet, quod singulis annis de fructibus sic unitis ultra victum supracrescentibus singulis ex eis fructuum quantitibus et personarum qualitibus et necessitatibus pensatis pro vestibus et aliis necessariis certa porcio assignaretur, altaristis pro exercicio cure, ut premititur, deputatis maior aliis altaristis et vicario maior altaristis pro dicto exercicio deputatis et plebano maior vicario, ex hoc non solum necessitatibus et indigenciis altaristarum succurreretur, com- 20 moditatibus parrochianorum prefate ecclesie ac illius venustati ac decori consuleretur, ymmo divinus cultus in eadem ecclesia notabile et laudabile susciperet incrementum cum populi devocionis non modico augmento.

Ut igitur in dicta ecclesia divinus cultus augeatur et necessitatibus altaristarum consulatur, ut preferatur, supplicat humiliter s. v. Nycolaus prefatus, quatenus alicui probo viro in illis partibus committere dig- 25 nemini et mandare, ut domos predictas coniungat et inantea unam esse et manere debere decernat illique omnes et singulos fructus etc. appropriet, uniat, annectat et incorporet statuatque et ordinet omnia premissa ac quod plebanus, vicarius et omnes altariste existentes pro tempore in dicta domo simul morari et in communi vivere debeant ex administracione unius eligendi per eos, ut preferatur, aliasque faciat, statuat, ordinet et disponat in ecclesia premissa in omnibus et per omnia, prout secundum deum pro necessitatibus altaristarum, commoditatibus parrochianorum, venustate et decore dicte parrochialis ecclesie, incre- 30 mento divini cultus in eadem et augmento devocionis populi videbitur expedire, ac que fecerit, statuerit, ordinaverit et disposuerit racionabiliter in ecclesia premissa, faciat per censuras ecclesiasticas et alia iuris oportuna remedia firmiter observari . . . — *Billigung mit Concessum, jedoch nur:* de consensu beneficiatorum. 35

¹⁾ *Datum der Billigung.*

²⁾ *Die im Chor getragenen Schultermäntel aus Pelzwerk. Unterschieden werden hier Buntwerk, Feb (de vario), Hermelin (de asperiolis) und Lammfell (de agnellis).*

zu <1437 September 24 — Oktober 3>, Konstantinopel.¹⁾

Nr. 323

Aus dem Bericht des B. Peter von Digne über die Reise nach Konstantinopel auf dem Konzil von Ferrara am 1. März 1438.²⁾ Ankunft des NvK in Konstantinopel und seine Verhandlungen mit dem Kaiser.